

297. Q. XII. *An, et quomodo gesta falsi, seu revocati procuratoris sint invalida?*

R. Esse invalida post oppositam exceptionem, sive illam dominus, sive pars adversa opponat ante, vel post sententiam. Ita *c. 4 in nostra in fin. h. t.* ibi: *Qua probata, iudicium nullum, et nullius momenti controversiæ reputantur.* Nam procurator revocatus repelli potest, tanquam extranea persona cui nullum jus est agendi. At contra, si nec dominus, nec pars adversa contra falsum procuratorem excipiat, convalidantur omnia ejus gesta per ratihibitionem partium, quæ retrotrahitur, et mandato æquiparatur; (*l. 56. ff. de judic.*) Sic dominus appellans contra sententiam in falsum procuratorem latam, censetur gesta ejus approbare (*l. 3. §. falsus ff. rem rat. haberi*), alioquin non appellare, sed exceptionem falsi procuratoris opponere debuit; per *cit. cap. 4 hoc tit.*

Hic non procuratori affines esse *defensorem, actorem, et negotiorum gestorem.* *Defensor* est, qui tantum in litibus absentis rei sine ullo mandato causam in iudicio defendit, præstita cautione de iudicato solvendo, vel rato habendo. *Actor* est, qui in casu necessitatis, vel impedimenti, interposito decreto iudicis, constituitur à tutore, curatore, vel alio administratore: et negotia domini periculo tutoris aut administratoris gerit. (*§. fin. in de curator. l. 24. ff. de Administr. tutor. l. 11. C. h. t.*)—*Negotiorum gestor* est, qui absentis et ignorantis negotia gerit absque ullo mandato. Atque id à Prætoribus introductum est ex æquitate, ne absentium negotia deserantur. Hinc oritur duplex *actio prætoris negotiorum gestorum: directa* competens domino contra negotiorum gestorem ad restituendum quod gessit, vel reparandum quod malè ex dolo, vel culpa levi fecit, aut omisit: *contraria* competens gestori contra dominum ad resarciendum id, quod in negotii gestione de suo impendit (*l. 2. ff. de negot. gestif.*)

TITULUS XXXIX.

DE SYNDICO. ^a

298. *Nota*, Syndicum esse procuratorem à corpore, seu universitate constitutum communi mandato, ad pertractandas omnes causas, et lites universitatis, hoc est, capituli, collegii, civitatis, vel alterius corporis. Ex qua descriptione colliguntur omnia præcipua requisita ad syndicum, puta ut constituatur à communitate, seu corpore, mandato communi, seu decreto ordinis (*l. 3. ff. quod cujusque univers.*), generaliter ad omnes causas judiciales, cum potestate ampla, quæ competit procuratori generali *cum libera* (*l. 1. §. 1. et l. 6. §. 1. ff. eod.*), nisi in mandato ei restringatur:

^a.—Agitur de hac materia *c. 12 qui vere 16. q. 1.*—In Pandectis *tib. 3. tit. 4. et lib. 50. tit. 4. leg. 18. §. 1.*

donare tamen, et liquida debita remittere non permittitur syndico. Differt autem syndicus à *procuratore* specificè sumpto; quia hic causas privatorum agit. Ab *actore publico*, quia iste ad unam, vel alteram certam causam constituitur. A *fiscali*, seu *procuratore fisci*, quia iste solas causas criminales, mulctas, et pœnas fisco, seu universitati debitas persequitur; syndicus plerumque civiles. Ab *administratore* Cameræ, et *curatore universitatis*; quia ille præest rei nummariae, iste negotiis extrajudicialibus; syndicus verò judicialibus. Fere omnia, quæ dicta sunt de procuratore, proportionaliter applicanda erunt syndico.

299. Q. I. *An laicus in causis spiritualibus constitui possit syndicus, et Religiosus in causis sui monasterii?*

R. *Ad 1. m.* Affirmativè, ex *c. 1 de Procurator. in 6.* cum hoc nullo jure prohibeatur. Nam licet laicus in causis spiritualibus non possit esse iudex etiam delegatus, vel administrator Ecclesiæ, vel elector personæ ecclesiasticæ, cum hæc omnia sint officii ecclesiastici, et spiritualis; potest tamen ministerialiter et nomine principalis, causas spirituales in iudicium deducere: siquidem ad hoc nulla jurisdictio, aut potestas spiritualis requiritur; ergò.

Ad 2. m. Affirmativè, præsertim si id exigat necessitas et utilitas monasterii, (*c. 35 monachi 16. q. 1. c. 2 de postulando*); nam Religiosus idoneus à capitulo electus in syndicum nullo jure arceatur à munere syndicali ad causas forenses peragendas.—Nec obstat *c. 1 ne Cler. vel monach. c. 2 de in integr. restit. cap. unic. hoc tit.*; nam jura ista procedunt solum de honestate et decencia, quia *expedit pro parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei esse quietos.*

300. Q. II. *An solus Prælatus revocare possit syndicum?*

R. Regulariter loquendo affirmativè: nam juxta *cap. 21 de rescr.*, Prælatus ex officio suo tenetur congregationis suæ negotia procurare; ergò ipse solus potest revocare syndicum, et actiones per se intentare.—Nec obstat, quod syndicus constituatur de consensu capituli: nam, ne monasterium lædatur, meritò plus requiritur ad constitutionem, quam revocationem syndici. *Excipe*, nisi Abbatis, et capituli negotia essent discreta: tunc enim syndicus à capitulo constitutus, ab eodem revocandus foret (*arg. cit. c. 21 de rescript.*)

TITULUS XL.

DE HIS, QUAE VI, METUSVE CAUSA FIUNT. ^a

301. *Nota* I. Hic non agi de *vi*, seu invasione *publica*, quæ fit armis,

^a.—Agitur de hac materia in Sexto *h. t.*—In Decreto *15. q. 6 et 20. q. 3 et 23. q. 5, 6.*—In Pandectis *l. 4. tit. 2* ubi rubrica concipitur à primis verbis edicti prætorii: *Quod metus causa gestum erit, ratum non habebit.*—In Codice *lib. 2. tit. 20 de his, quæ vi, metusque causa gesta sunt.*

et similibus instrumentis; neque de vi privata, dum res alicujus invaduntur sine armis: nam de his agitur *tit. ff. de vi, et vi armata*; et *tit. ad l. Juliam, de vi privata*. Neque hic agitur de vi *ablativa* qua res mobilis auferitur; neque de *turbativa*, qua quis turbatur in sua possessione; neque de *inquietativa*, qua quis inquietatur in usu rei suae; neque de *expulsiva*, qua quis ex possessione dejicitur. Nam contra primam datur actio vi honorum raptorum; contra secundam interdictum *ut possidetis*, respectu immobilium, vel *utrobi*; respectu mobilium; contra tertiam interdictum *quod vi, aut clam*; contra quartam interdictum *unde vi*, de quibus agunt Legistae ad *tit. de Interdictis*. Sed agitur de vi *compulsiva*, qua quis compellitur ad aliquid faciendum, quod alias non faceret. In quo sensu vis est: *majoris rei impetus, qui repelli non potest*, (*l. 2. ff. quod metus caus.*) Dividitur in *absolutam*, seu *praecisam*, quae ita compellit ad actum, ut omnem liberum consensum impediatur, ut si quis invitatus cogatur genuflectere idolo etc.; et *conditionalem*, seu *secundum quid*, quae compellit quidem ad actum, sed non nisi sub conditione, si quis liberè consentiat; adeoque relinquit voluntarium simpliciter, et causat solem involuntarium secundum quid: ut si quis metu mortis adoret idolum. Haec vis specificè dicitur *metus*. Jam si in praesenti rubrica vis à metu distinguitur, vis accipi debet pro absoluta, inferente necessitatem contrariam voluntati (*l. 1. ff. d. t.*)

Nota II, metum ab Ulp. *cit. l. 1.* definiri: *Mentis trepidatio, instantis vel mox futuri periculi causa*; seu passio animi fugientis aliquid malum sibi imminens, sive inferatur à causa necessaria extrinseca, aut intrinseca, ut naufragio, morbo; sive à causa creata libera, ut ab homine minante aliquid malum. Dividitur autem metus in *gravem*, et *levem*. *Gravis* est, qui sufficit, ut animum, etiam fortem, dimoveat à proposito; et ideo aliter vocatur *cadens in virum constantem*, seu *probabilis*, uti est timor mortis, mutilationis, servitutis, gravis infamiae, stupri inferendi, amissionis omnium bonorum etc. (*l. 3. in fin. et seqq. ff. d. t.*) *Levis*, seu *vanus*, aut *improbabilis* est, qui non sufficit, ut animum fortem à proposito dimoveat, et ideo non *cadit in virum constantem*. Ista autem *gravitas* et *levitas* non est spectanda absolute, sed comparative ad personam inferentem et patientem: nam quod respectu viri est leve, respectu pueri aut feminae potest esse grave. Uterque iste metus vel est *justè incussus*, cui patiens causam dedit; ut si iudex criminoso minetur carcerem, flagellationem etc., vel *injustè incussus*, cui innocens nullam causam dedit; ut si latro minetur mortem, nisi pecunia numeretur. Agetur hic de firmitate et obligatione actuum metu gestorum, et de remediis contra metum.

302. Q. I. *An gesta per vim absolutam sint de jure naturali nulla?*

R. Affirmative cum S. D. 1. 2. q. 6. ar. 5. et com. Nam in his deest voluntarium simpliciter, cum vi coactus magis pati, quam agere videatur. Hinc dicit Ulp. *l. 1. ff. quod met.*, quod vis absoluta inferat necessitatem contrariam voluntati, ut si quis violenter ducatur ad templum idolorum. *Nec obstat c. 2. h. t.* ibi: *quae metu, vel vi fiunt, debent in irritum revocari*, seu rescindi: nam ut patet ex contextu, sermo ibi est de vi conditionali, quae nihil differt à metu.

303. Q. II. *An, et quomodo gesta ex metu gravi sint valida?*

R. 1.º Si metus incussus est à causa necessaria intrinseca, vel extrinseca, gesta ex tali metu sunt omni jure valida; nam causa necessaria non injuriat, et ideo valet votum, quod quis metu morbi aut naufragii emisit.

2.º Si metus à causa libera justè incussus est, gesta ex illo sunt omni jure valida; cum metus justè incussus nullam inferat injuriam patienti, sed iste sibi imputare debeat, quod causam metui dederit, *l. 21. ff. d. t.*, ubi mulieris datio, vel promissio valet facta ex metu, quod propter commissam ingratitude redigenda sit à patrono in servitutem. *Nec obstat l. 7. in fin. eod.*, nam ibi ad altero metus injustè incussus est ab iis, qui privata auctoritate eum occisuri erant; secus esset, si metus justè à Judice incuteretur.

3.º Si metus à causa libera injustè incussus est, gesta ex tali metu sunt valida de jure naturali: nam hoc jure ad valorem actus sufficit consensus simpliciter voluntarius; sed metus, licet causet involuntarium secundum quid, relinquit tamen consensum simpliciter voluntarium et liberum; ergo. *Nec obstat ratio injuriae illatae*; nam voluntarium simpliciter stare potest cum injuria, licet spontaneitas in actu deficiat.

304. Q. III. *An actus ex metu gravi injustè incusso gesti regulariter sint ipso jure positivo validi?*

Negant Sotus, Molina et pauci cum his; affirmant Gloss. c. 2. h. t. Sylv. Abbas, Zoes, Laym. et alii communiter, cum quibus:

R. Affirmative: nam tales actus in utroque jure dicuntur rescindendi, ergo mero jure valent, cum id, quod invalidum est, rescindi propriè non possit. *Probo antecedens ex c. 2. h. t.* ibi: *Quae metu, vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*; *l. 1. ff. quod metus*, ubi Ulp. affert edictum praetoris: *Ait praetor: quod metus causa gestum erit, ratum non habebit*, hoc est, rescindam seu cassabo; siquidem remedia praetoria non dantur contra actum jure nullum, cum sufficiat ordinarium remedium nullitatis, ut patet ex *l. 46. §. 3. ff. de minor.* ibi: *Generaliter probandum est, seu tenendam, ubi contractus non valet, pro certo praetorem se non debere interponere*. Huc etiam faciunt *l. 9. §. 3. 4. l. 21. in fin. l. fin. §. 1. 2. ff. quod met. et l. 5. et fin. C. de his, quae vi*. Metum passis, rescisso actu, conceditur restitutio in integrum. Ratio est, quia sine claro textu juris non est recedendum à jure naturali (*l. 28. ff. de LL*); non ratione *involuntarii secundum quid*, quia cum hoc stat voluntarium simpliciter sufficiens ad valorem actus, modo cetera non desint; nec ratione *injuria* metum passo illatae, quia injuria ista facile reparatur, concessa actione, vel exceptione *quod metus causa*; imò metum passo favorabilius est actum valere, quam non valere: nam si deinde appareat actum istum esse sibi commodum, ei stare potest; si incommodum, agere poterit ad rescissionem, ergo. Unde contractus, vota simplicia, resignationes jurium, et alii actus metu gesti mero jure valent, donec rescindantur per judicem competentem. His non obstant *c. 14 de sponsal. c. 28. de jurej. l. 116. ff. de R. J. l. 1. §. 3. ff. quod metus, l. 22. eod.*; nam ex his non colligitur nisi involuntarium secundum quid, et actus irritus quoad effectum, quia rescindi potest. In *l. 6. §. fin. ff. de acq. hered.*

aditio hæreditatis ideo fuit invalida, quia ficta, ibi: *fallens adiit hæreditatem*.

305. Q. IV. *Qui actus metu gravi injusto gesti sint invalidi de jure positivo?*

R. 1.^o Professio Religiosa (c. 1. h. t.)—2.^o Matrimonium (c. 14. de sponsal.)—3.^o Absolutio à censura, et revocatio sententiæ infligentis censuram (c. un. h. t. in 6.); quæ dispositio non videtur extendenda ad ligationem per censuram.—4.^o Collatio jurisdictionis, et ejus prorogatio (l. 2. pr. ff. de judic.)—5.^o Præstatio auctoritatis tutoriæ (l. 1. §. 1. et l. 17. ff. de aut. tut. sed nullitas ista videtur oriri ex defectu consensus, dum tutor, coactus esse præsens, non consentit.—6.^o Promissio et constitutio dotis (l. 21. §. 3. ff. quod met.)—7.^o Promissio et traditio rerum Ecclesiæ (Can. 1. si quando que. 15. q. 6.)—8.^o Datio libertatis (l. 9. et. 13. ff. qui et à quib.)—9.^o Gesta cum injustè detento in carcere (l. 22. ff. quod met.), licèt Bartol. dicat, talia gesta solùm esse rescindenda.—10.^o Probabiliter testamentum, et testium testamentariorum coacta præsentia (l. 1. C. de SS. Eccl. l. 20. §. fin. ff. qui testam. fac); nam in his actibus jura positiva voluerunt adesse plenam libertatem, quam utique metus tollit.

306. Q. V. *Quæ nascatur obligatio ex actibus metu gestis?*

R. 1.^o Respectu metum inferentis nascitur obligatio stricta et firma, cum metum inferens plenè consenserit; at respectu metum passi est obligatio infirma, cum facillè tolli possit remedio prætorio, de quo in seq. q. 2. Si metus levis incussus est, in foro saltèm interno metum passus non tenetur stare contractui, ut docent Sylv. Costar. Schmal. contra Medin. et Poncium: nam metum inferens facit injuriam metum passo, et quod hac via acquisivit, tenetur restituere in conscientia; ergò metum passus non obligatur in foro interno; imò etiam in foro externo succurritur ei per implorationem officii judicis.—Nec obstat, quod *vani timoris justa nulla sit excusatio* per l. 184. ff. de R. J.; nam licèt nulla sit excusatio de rigore juris positivi, tamen remedium est de jure naturali, præcipiente removeri injuriam, quam quis alteri intulit.

307. Q. VI. *Quæ juris remedia competant metum passo?*

R. 1.^o Si actus metu gestus est unus ex illis, qui à jure irritantur, competit ordinarium remedium nullitatis, et consequenter quidquid ex tali metu datum et acceptum est, restitui debet.—2.^o Si actus metu gestus ipso jure valet, et jam completus est traditione rei, competit metum passo actio prætoria, quod metus causa, ut recisso actu, res tradita restituatur. Si verò actus, seu contractus non est completus traditione, competit metum passo exceptio, quod metus causa, qua repellatur petens sibi dari ex metu promissum, (l. 12. pr. ff. h. t. §. 1. In de except.) Sit exemplum: dedisti Cajo ex metu mortis equum; agere potes contra Cajum actione quod metus causa, ut rescissa donatione, equum cum fructibus restituat: si verò non dedisti, sed tantùm ex metu promisisti, Cajo equum donatum, seu promissum petenti opponere potes exceptionem metus, qua illum repellas à petendo. Porrò actio metus, licèt principaliter sit personalis, utpote ex delicto orta, imitatur tamen actiones reales, ità ut res metu data à quocum-

que possessore repeti possit, et ideo dicitur *in rem scripta*. Vide Legistarum ad §. 25. 27. inst. de action. et l. 9. §. fin. ff. quod met. caus. Abbas, et Host. concedunt metum passo tertium remedium, scil. *vindicationem utilem*, si rei datæ fuit dominus.—3.^o Ut actio metus procedat, debet metus legitime probari: nam factum, vel delictum non præsumitur, sed probandum est (l. 51. ff. pro socio.) Probatur autem per testes, etiam domesticos, et familiares, uti et per præsumptiones violentas; si autem tantùm unicus est testis, et res non est magni præjudicii, probatio compleri debet per juramentum (c. fin. de jurej.)

308. Q. VII. *An metu gesta rescindi possint, si metus indirectè solùm incussus est ex alio fine; non verò directè ad extorquendum actum?* v. g. æger ex metu mortis cedit, aut vendit hortum medico, quia iste, alias ex officio ad curandum obligatus, non vult curam ejus suscipere; vel si miles det pecuniam ei, qui injustè vult eum prodere apud inimicum.

Negant Covar. Less. Sanch. Perez, et alii; sed probabilius et æquius affirmant Lugo, Palacios, Wiestner, Schmalz. cum quibus:

R. Affirmativè: nam edictum de metu (l. 1. ff. quod metus), latum est ob injuriam metum passo illatam; sed talis injuria infertur, sive metus directè, sive indirectè incutiatur, ut de se patet, et exemplum habetur leg. 7. §. 1. eod.; ergò locus est edicto et rescissioni actus. Si verò actus ex natura sua est irrevocabilis, uti matrimonium, et professio religiosa, ipso jure est irritus, etsi fiat solùm ex metu indirectè incusso, cap. 1. h. t.—Nec obstat cap. 17. de regul., nam ibi metus incussus est ex causa necessaria, scilicet, *nimia ægritudine*, quæ non injuriat. Idem dic, si tertius metum intulit (l. 44. §. 3. ff. quod metus c. 15. de Sponsal), nisi tertius nullo modo in metum influxisset, uti venditor, à quo emis gladium ex timore, ne à Cajo occidaris.

309. Q. VIII. *An ob metum reverentialem concedatur rescissio?*

R. Regulariter loquendo negativè, ex Can. 8. puella 20. q. 1. et l. 26. ff. de pignorib. Nam sola reverentia filiorum erga parentes, uxoris erga maritum, subditi erga dominum, per se non inducit, nisi metum levem, et facillè superabilem; alioquin plurimi contractus à filiis, uxoribus, et subditis initi cassandi forent.—Excipe, nisi concurrant gravia adminicula; ut indignatio, rixæ, asperitas vultus, præces importunæ, et armatæ etc.; tunc enim metus reverentialis fit gravis, et consequenter reddit actum rescissioni obnoxium.

310. Q. IX. *An, et quomodo metus excuset ab observantia præceptorum?*

R. 1.^o Non excusat ab observantia præceptorum negativorum jura naturalis, ut de non fornicando etc.; nam, Deo et natura præcipiente, talis præcepta obligant artissimè semper pro semper; et ideo puella, etsi instaret periculum mortis, non potest licitè consentire in fornicationem, sed aggressorem violentum pudicitiae repellere tenetur: si tamen vim absolutam patiat absque interno consensu, castitas ei duplicabitur ad coronam. Præcepta autem affirmativa juris naturalis præcipientia actum fieri, plerùmque non extenduntur ad casum magni periculi; ut santificare diem dominicum, alere parentes etc., dummodo aliquid positivè contrarium eis non fiat.

sic enim in nullo casu licet contrariè inhonorare parentes.—2.º Metus gravis regulariter excusat ab observantia legis divinæ positivæ et humanæ: sic enim præceptum circumcisionis per 40 annos Israelitas non obligavit; et David in necessitate comedit panes propositionis; et catholicus in partibus hæreticis potest comedere carnes die veneris ex metu, ne proditum malum grave patiat; dommodo exinde non sequatur contemptus Religionis catholicæ. *Excipe*, nisi specialis causa, et reverentia exposcat observantiam præcepti. Sic non licet consecrare Eucharistiam sub una specie, sine admistione aquæ, sine sacris vestibus, præsertim stola etc.

TITULUS XII.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE. ^a

314. *Nota I.* Compilatores nostrum à specie transire, seu ascendere ad genus: nam priori titulo actum est de rescissione, seu in integrum restitutione ex causa metus; hic verò in genere agitur de illa, et hoc modo describitur: *Restitutio in integrum est remedium extraordinarium à Prætoribus introductum, quo notabiliter læsus ob æquitatem naturalem reducitur in eum statum, in quo fuit ante læsionem.* Ita Com. ex l. 1. et seqq. h. t. Nam quia ex una parte rigor juris civilis nullam actionem concedebat; ex altera verò parte æquitas naturalis suadebat læsionem succurrendam esse, merito Prætor introduxit hoc remedium, deinde à sacr. Canonibus receptum, et approbatum hoc titulo. Ex data definitione colligitur discrimen restitutionis ab appellatione, revisione, supplicatione apud principem, reductione ad arbitrium boni viri, à syndicato remedio competente contra iudicem dolo malo judicantem, et lædentem: nam in his intenditur reformatio sententiæ judicialis, vel compensatio damni illati; at per restitutionem intenditur reductio in pristinum statum, sive læsio facta sit in iudicio, sive extra iudicium.

Nota II. Conditiones ad restitutionem requisitas esse:—1.º *Ut actus de se sit validus*; nam ex actu invalido competit remedium ordinarium nullitatis: et aliunde, si actus jure non valet, Prætor non debet se interponere (l. 16. §. 3. ff. de minor.)—2.º *Ut læsio sit notabilis* ultra modicum, sive notoria, sive per testes probata; nam de modico non curat Prætor: cognita autem læsione, non per casum, sed dolum, culpam, aut incosultam facilitatem facta, succurrit per restitutionem, (l. 3. 4. ff. h. t.)—3.º *Ut adsit legitima causa*, uti est metus gravis injustè incussus, dolum accidentalibus dans causam contractui, fragilitas ætatis minoris, absentia, et alia justa causa,

^a—Agitur de hac materia in Sexto, et Clementin h. t.—In Decreto 7. q. 1. 2. et 35. q. 9. et Canon. 10. ideo. 2. q. 6.—In Institutionib. §. 6. de action.—In Pandectis lib. 4. tit. 1. 2. 3. 4. 6.—In Codice lib. 2. tit. 22. usque ad 55.

ut infra dicitur.—4.º *Ut sit negotium civile*: nam in criminalibus non est locus restitutioni, quia *malorum mores infirmitas animi non excusat* (l. 1. C. si advers. de licet.)

312. Q. I. *Quibus competat in integrum restitutio?*

R. 1.º *Minoribus* ob fragilitatem ætatis (l. 1. ff. de minor); nam hujus ætatis est *fragile et infirmum consilium, et multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum.* Jure minoris gaudent Ecclesiæ, seu loca pia, (cap. 1. 3. h. t.); republicæ (l. 4. C. quib. ex causa. maj. l. 3. C. de jure republ.); princeps quoad bona regni, seu coronæ, cum representet totam rempublicam, non tamen quoad bona propria. Ratio hujus privilegii est, quia Ecclesiæ, et republicæ quæ se ipsas administrare non possunt, frequenter læduntur negligentia et prodigalitate administratorum; ergò merito eis succurritur hoc remedio.—2.º *Heredibus minorum* (l. 6. ff. hoc tit. et l. 18. in fin. de minor.) Nam licet hoc privilegium ratione personæ sit concessum, multum tamen de reali participat ratione damni in rebus. At fidejussoribus minorum regulariter non conceditur, ne creditor suo fine, et assecuratione frustretur, (l. 13. ff. de minor. l. 1. 2. C. de fidejuss.)—3.º Majoribus hoc beneficium conceditur ex justa causa; uti est absentia republicæ causa, detentio in vinculis, servitute, hostium potestate, impedimentum infirmatis, pestis, et aliæ causæ in edicto relatæ; et generaliter ex clausula: *siqua alia mihi justa causa esse videbitur*, (l. 1. ff. ex quib. caus. major.) Ceterum, licet restitutio competat Ecclesiis, non tamen Prælati et clericis quoad sua bona patrimonialia, cum id nullo jure expressum sit.—Nec obstat cap. 4. de immun. Eccl. et auct. item illa C. de Episc. et Cleric., nam privilegium exemptionis à foro laicali non est extendendum ad restitutionem, (arg. l. 14. ff. de LL. c. 9. de privil.)

313. Q. II. *In quibus casibus minor non restituatur?*

R. 1.º Si minor dolo malo agat, vel simulet se majorem esse, ut alterum ad contrahendum alliciat, (l. 9. §. 2. ff. de minor. l. 2. C. si minor se major.) ubi ratio additur: *quia errantibus, non etiam fallentibus minoribus publica jura subveniunt.*—2.º Si major factus ratum habuit, quod in minoritate gessit, (l. 1. 2. C. si major fact. rat.)—3.º Si contractum spontè juramento firmavit (cap. 28. de jurej. auth. sacramenta, C. si advers. vendit.); nam omne juramentum servandum est, dum non vergit in dispendium animæ et præjudicium tertii.—4.º Si minori res casu pereat, (l. 11. §. 4. ff. de minor.) ubi rationem dat Ulp: *quia non eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas.*—5.º Si minor veniam ætatis impetavit, (l. 1. C. de his, qui ven. ætat.)—6.º In matrimonio, et professione Religiosa, quia in his, ex natura sua indissolubilibus, minor habetur pro majore, licet quoad dotem et alia accidentia restitutio detur, (l. un. C. si advers. dot.)

314. Q. III. *An minor restituatur contra minorem?*

R. 1.º Si unus minor est lædens, et alter læsus, vel unus certat de damno vitando, et alter de lucro captando, in hac dispari causa restitutio competit læso, et certanti de damno vitando (l. 11. §. fin. ff. de minor.); nam hoc beneficium concessum est læsionem, non verò lædentibus. Unde

non est hic locus regulæ: *Privilegiatus adversus æquè privilegiatum non utitur privilegio*, cum lædens non sit privilegiatus, sed læsus.—2.º Si causa est par, et uterque privilegiatus certat de lucro captando, vel uterque de damno vitando, favendum est possessori, per *reg. 65. in 6.* Unde si minor inconsultè credidit pecuniam alteri minori, et is eam prodigè consumpsit, minor creditor non restituitur adversus minorem debitorem, (*l. 41. §. pen. ff. de minor.*) Idem observatur in Ecclesiis, nam si una Ecclesia repudiavit legatum, et altera illud acceptavit, melior est conditio acceptantis et possidentis; alioquin Ecclesia læsa restituitur contra lædentem (*c. 3. h. t.*)

315. Q. IV. *An major habens rem, seu causam communem cum minori restituatur?*

R. Cum distinctione: si res est individua, ut idem castrum, idem bonum feudale etc., major restituitur cum minori (*arg. l. 10. ff. quemad. servit. amitt. l. 4. §. 3. 4. ff. si servit. vind.*), quia privilegiatus trahit ad se non privilegiatum. At si causa et res sit dividua, seu commodam divisionem patiens; ut si major centum, et minor centum inconsultè crediderunt eidem debitori, solus minor restituitur, quia prætor non majoribus, sed minoribus ob fragilitatem ætatis consultum voluit, (*l. 4. §. 2. ff. de minor.*) Idem dic, si concurrat Ecclesia cum altero non privilegiato.

316. Q. V. *Quod sit discrimen inter restitutionem majoris et minoris?*

R. Minor læsus sine alia causa restituitur ex officio iudicis, licèt adsit remedium ordinarium, et curator intervenerit (*l. 4. 2. 3. C. si tutor, vel curat. interv. l. fin. ff. h. t.*) Econtrà, major læsus restituitur solùm ex causa legitima ad instantiam suam, deficiente remedio ordinario, et curatore non interveniente; aliàs contra hunc procedit actio mandati. *ibid.*

Hæc de personis gaudentibus beneficio restitutionis. Nunc de casibus, in quibus illa competit: cujusmodi enumerantur plures in Pandectis (*h. tit. et tit. de minor. et tit. ex quibus causis maj.*), et præsertim in Codice (*lib. 2. tit. 27. et seqq.*): ut adversus rem judicatam, venditionem, donationem, libertatem, transactionem, solutionem, dotem etc., ubi casus istic legi poterunt. Hic præcipuos examinabimus.

317. Q. VI. *An Ecclesia ex contractu læsa, ultra vel infra dimidium pretii, restituatur?*

R. Ad 1.º Affirmativè: nam ideo restitui non posset, quia adest remedium ordinarium ex *l. 2. rem. C. de rescind. vend.*; quo agitur alternativè vel ad supplendum pretium, vel ad rescissionem contractus; sed hæc ratio non obstat: nam Ecclesia, vel minor, relicto remedio ordinario, eligere potest remedium extraordinarium restitutionis, dum hoc pinguius et facilius est (*l. fin. ff. h. t. l. 2. 3. C. si tutor.*); facilius autem est probare læsionem immodicam, quam læsionem ultra dimidium; ergò.

Ad 2.º Affirmativè: ita Pinell. Fachin. Schmalz. et alii, contra Abb. Covar. Less. Laym. etc. docentes non dari restitutionem in casu, quo minor non est læsus in substantia rei, v. g. alienatæ; sed tantùm agi posse ad supplementum pretii. Prob. ex *l. 27. §. 1. ff. de minor.* ibi; *Si minore pretio, quàm oportet, vendiderit adolescens, emptor quidem juberi debet prædia cum fructibus restituere.* Idem docet Paulus *l. 24. §. 4. eod.* et

Alex. III. *c. 4. h. t.*, ubi possessiones Ecclesiæ laicis sub modico censu concessas jubet, ad jus et proprietatem Ecclesiæ redire. Ratio est, quia Ecclesiæ, vel minori læso, jus indistinctè concedit restitutionem; hæc autem læsum constituit in pristino statu.—Nec obstat *l. 12. §. 1. ff. de jure dot.*, nam ibi ob amorem conjugalem speciale quid statuitur, ut mulier, etiam minor, in æstimatione servi circumventa, contenta sit vel restitutione servi, vel supplemento pretii: sed hoc non trahitur in consequentiam (*l. 14. ff. de LL.*)

318. Q. VII. *An Ecclesia restitui possit contra sententiam à Papa latam?*

R. Affirmativè, cum Abb. Zoes etc. contra Host. Covar. etc.—Prob. ex *c. 5. h. t.*, ubi talis restitutio conceditur, addita ratione: *Quia sententia Romanæ Sedis non negatur posse in melius commutari, cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum et temporum, seu gravium necessitatum, dispensativè quidquam ordinare decrevit.*—Idem de minori docet Ulp. *l. 18. ff. de minor.*, ubi limitatio ponenda est, ut restitutio ista non petatur prætextu injustitiæ, sed ex causa erroris proprii, lapsus ætatis, aut alia simili, et quidem ab ipso Papa, seu principe (*cit. l. 18.*)—Similiter restitutio ob has causas peti potest adversus tres sententias conformes, et multò magis adversus confessionem delicti factam in jure, si confessio ista fuit falsa, vel voluntaria sine legitimo præcepto iudicis; secùs autem si minor legitimè interrogatus verum delictum confessus est (*l. 37. ff. de minor.*)—His non obstat, quod appellatio non detur à sententia Papæ: nam appellatio fieri debet ad majorem; Papa verò et principe non datur major iudex. Econtrà restitutio contra sententiam peti potest ab eodem iudice.

319. Q. VIII. *An Clericus minor restitui possit, contra resignationem beneficii inconsultè factam, re non integra, dum beneficium jam est collatum alteri?*

Negant Accurs. Host. Gloss. *c. 14. derestitut. spol.*; Layman et Schmal. etc. cum quibus:

R. Affirmativè: nam juxta generale beneficium (*l. 1. ff. de minor.*), minor restitui potest contra proprium factum, ex quo graviter læsus est, etsi res non sit integra: ut patet ex *l. 9. pr. ff. eod.* ubi minor restituitur adversus distractionem pignorum, et *l. 49. eod.*, ubi *distractio per in integrum restitutionem revocatur*; ergò et Clericus minor in hoc casu restitui potest, cum nullibi reperitur exceptus.—Nec obstat *l. 24. §. 2. ff. de minor.*, nam ibi minor agit de lucro captando hæreditatis repudiatæ, et hoc ei non conceditur, re non integra; secùs si agat læsus de damno vitando per *citt. LL.*

320. Q. IX. *An Religiosus ex justa causa restitui possit adversus lapsum temporis quinquennii, si intra hoc non reclamavit contra professionem?*

R. Affirmativè; ita communior contra Flaminium. Prob. ex clausula edicti *si qua justa causa*, *l. 1. ff. ex quib. caus. maj.*; ubi majoribus indistinctè conceditur beneficium restitutionis ex justa causa. Et ita servatur in praxi Curiæ Romanæ, ubi Papa, vel S. Congreg. cognita priùs nullitate professionis, saltèm cognitione summaria, et justitia impedimenti, ob quod

Religiosus reclamare non potuit, ut quia metus toto quinquennio duravit, concedere solet talem restitutionem ad effectum reclamandi.—Nec obstat Trid. (Sess. 25. cap. 49. de Regul.); nam ibi solùm negatur post quinquennium actio ordinaria, seu directa reclamatio contra professionem; non verò actio extraordinaria per restitutionem à jure indulta contra lapsum temporis, quo non potuit reclamari ob justum impedimentum. Idem dic de fœmina, quæ per sesquiannum reclamare non potuit contra matrimonium.

321. Q. X. *An ignorantia facti sit majori causa sufficiens ad restitutionem contra usucapionem?*

Affirmant Bartol. Gales. et alii; sed probabilius negant Fach. Zoes, Wiestner etc. cum quibus:

R. Negativè. Prob. ex *l. fin. C. de præscr. long. temp.*, ubi Imp. decidit præscriptionem currere ignorantibus, ibi: *nulla scientia, vel ignorantia, ne expectanda, altera dubitationis inextricabilis oriatur occasio*. Et *l. 4. 8. C. de præscr. 30. an. et. c. 6. de præscr.*, quadragenaria præscriptione omnis actio tollitur; ergò et tollitur, seu extinguitur restitutio in integrum; aliàs usucapiones rarissimè fierent securæ et firmæ, cum quisque facilè dicere posset, contra se invincibiliter ignorantem usucapionem cœptam et completam esse; quod non esset aliud, nisi novas et inextricabiles lites suscitare.

Dices: Ignorantia facti non debet nocere domino (*l. 8. ff. de J. et F. I.*); hic autem noceret.—2.º *L. 4. ff. eod.*: *Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse; facti verò ignorantiam prodesse constat*.—3.º Præscriptio est in pœnam negligentium (*l. 2. C. de annal. except. c. 5. de præscr.*); sed invincibiliter ignorans non est negligens; ergò justam habet causam petendi restitutionem adversus usucapionem.

R. *Ad 1.º* Ne ignorantia noceret dominis, sufficienter à jure provisum est per constitutionem legitimi temporis, intra quod si non inquirant de rebus suis à jure præsumuntur eas negligere, et ideo vi domini alti principis contra eos procedit usucapio, ut amplius ignorantia eis suffragari non debeat.—*Ad 2.º* Jctus loquitur de ignorantia facti circa titulum: ut si quis emeret à minore, quem existimavit esse majorem; et hæc ignorantia ei prodest ad usucapiendum. At ignoraetia usucapionis non prodest ad impetrandam restitutionem contra usucapionem; aliàs frustraneæ essent usucapiones, cum ferè semper rescindi deberent.—*Ad 3.º* Præscriptio per se principaliter est ob bonum publicum, secundariò in pœnam negligentia sive veræ, sive à jure præsumptæ.

Jam de forma restitutionis, quæ in tribus consistit:—ut petatur à judice competente,—modo debito,—et tempore à jure statuto.

322. Q. XI. *A quo judice petenda sit restitutio in integrum?*

R. 1.º De jure com. à judice illius, contra quem petitur (*l. 2. et fin. C. ubi, et apud quem cognitio*), ex regula generali: *actor sequitur forum rei* (*c. 8. de for. compet. l. fin. C. ubi in rem*). Excipe Ecclesiam, quæ læsa à laico restitutionem petere potest, vel à judice seculari rei, vel ab ecclesiastico (*c. 11. de reb. Eccl. alien.*) Hodie, teste Zœsio, inferiores judices cognoscunt solùm de veritate causæ et precum; restitutio verò fit à summo principe,

seu supremo ejus dicasterio.—2.º Delegatus specialis, nisi ei causa restitutionis sit commissa, non restituit quia excederet fines mandati; neque delegatus universalis contra sententiam à se latam, cum in ea causa functus sit officio. (vide *l. fin. c. ubi et apud quem*), nisi forsitan restitutio incidenter petatur per *l. 3. C. de judic.*

323. Q. XII. *Quis modus servetur in causa restitutionis?*

R. 1.º Si restitutio petitur directè et principaliter, imploratur nobile officium judicis: causa petendi legitimè cognoscitur, citato adversario, et lite contestata. Et quidem, si major restitutionem petat, cognosci debet non tantùm læsio, sed et justa causa, quam utramque major probare tenetur. At minor solùm probat minorennitatem et læsionem; qualitatem autem causæ discernet judex, an in ea restitutioni sit locus.—2.º Si restitutio proponatur indirectè et incidenter, ut si minor ex contractu læsus, postquam conventus est ab actore, excipiat contra talem contractum, judex causæ principalis cognoscat de causa restitutionis, tamquam accessoria; licet alioquin de illa principaliter intentata cognoscere non posset. Ità habet trita regula ex *l. 3. C. de judic. desumpta*, quod *judex causæ principalis, sit etiam judex causæ cum illa incidentis*.

324. Q. XIII. *Intra quod tempus petenda sit restitutio?*

R. 1.º De jure novo intra quadriennium continuum ex Constit. Justiniani (*l. fin. C. de temp. in integ. restitutionis*), ubi corrigitur jus antiquum concedens unum annum utilem (*l. 19. ff. de Minor*), cum talis annus difficillimè fuerit computationis. Est autem *tempus utile*, in quo computantur soli dies juridici, quibus agere licet: *continuum* verò est, in quo computantur dies naturales, vel potiùs civiles 24 horarum, sive sint juridici, sive non juridici. Jam quadriennium istud per se est *continuum*, quia currit non feriatis et feriatis diebus; per accidens est *utile*, quia non currit justè impedito.—2.º Hoc tempus computatur minori post expletum annum vigesimum quintum; Ecclesiæ, et reipublicæ à die cognitæ læsionis; majoribus à die quo cessat causa justè impediti, ut absentia, infirmitatis etc. Ita Com. ex *cit. l. fin.*—3.º Respublica et Ecclesia ex speciali privilegio restituuntur post quadriennium in certis casibus, in quibus ob negligentiam administratorum censetur impedita fuisse: ut si læsio sit enormissima (*cap. 11. de reb. Eccl. alien.*); si Prælatas lædens toto illo tempore vivat, vel frequentes sint mutationes Prælatorum, quia tunc Ecclesia non habet legitimum defensorem; si fraus, vel collusio intervenit, vel aliud justum impedimentum, (*cap. 1. h. t. in 6.*) Hoc tamen privilegium non extenditur ad minores, cum pro his majorennitatem adeptis non militet eadem ratio, quæ pro Ecclesiis.—4.º Accessio temporis, vel ejus transmissio variè pro varietate hæredum computatur: et quidem, si minor succedat minori, quadriennium computatur ab anno vigesimo quinto expleto; si major majori, tantùm à die aditæ hæreditatis habebit, quantum antecessori superfuit; si minor succedat majori, quantum huic supererat, tantum temporis habebit minor adepta majorennitate: si denique major succedat minori, integrum habet quadriennium ab addita hæreditate (*l. 5. C. de temp. in integ. rest.*)—5.º Intra hoc quadriennium non tantùm petenda, sed et finienda est causa restitutionis